


De
NESTORIO,

disputabunt
Annunte Jehova,

PRÆSES
M. JOHANNES SIMON FRANCUS,
MOENO-FRANCOFURTANUS,

&
Respondens
M. STEPHANUS PILARIK,
Matthæi-Villa Hungarus,
SS. Theol. Studiosus.

Anno clc LXX. d. 6. Augusti. horis mat.
In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wende.

NESTORIO

1800

Annahme

1800

M. JOHANNES SIMON FRANK

M. JOHANNES SIMON FRANK



M. STEPHAN PILLARIK

Magdeburg

1800

1800

1800

1800

1800

1800



PRÆLOQVIUM.

Quam utile ac necessarium Theologiæ cultori sit
 studium Historicum, non est, ut in erudito hoc terrarum
 orbe proluxa verborum ambage ostendam. Plumbeus atq;
 hebes sit oportet, qui inficietur, historiâ opus esse ab ovo
 ad mala deductâ, ut appareat, quid olim, quid heri, quid nunc agi-
 tetur: ubi cesserint Adversarii, ubi adhuc hæreant? *Nescire, quid
 antea, quam natus sis, acciderit, est semper esse puerum, inquit toga-
 torum disertissimus Cicero. Ut Ophiogenum & Marsiorum familie in
 Cypro & Italia venenum prognatis ingenerarunt; Ita Hæretici toxi-
 cum suum pestilentissimum, nisi homines probè præmuniuntur,
 longè, latèq; transmittunt. Semper sunt alites infausta, quæ vipe-
 rinum hæreseos ovum, vel semel jactum, venenato suo incubitu ex-
 cludunt & propagant. Phatius videbatur dudum expirasse, lucisq;
 suæ usuram amisisse; revixit tamen atq; reluxit in Socino: ita God-
 schalcus in Calvino, Berengarius in Dipnosophistis: Alii in aliis.
 Certè, ne è longinquo quid petam, Theodorus Mopsuestensis in Nesto-
 rio, Nestorius in Zwinglio, Zwinglius in suis Affectis revocatus est;
 quod lynceis, imò Elianis oculis intuiti sunt Majores nostri Zelotæ,
 & adhuc cum gemitu videre est, easdem sæpissimè tragædias repeti,
 non rebus ipsis variatis; sed personis duntaxat mutatis, basin salu-
 tis nostræ æqvè arietantibus. *Similia accidunt, donec manet eadem
 hominum natura, ait Thucydides. Ut igitur his fundamentum de-
 struamus, quo hæresin suam superstruunt, historiam novisse maximo-
 pere necesse est, quippe quæ (describente illo Rhetore in lib. 1. ad
 Herennium) nihil aliud est, quam ipsa res gesta, ab atatis nostræ
 memoria remota. Perpetuus thesaurus est exemplorum, & ex-
 pressa imago & quasi speculum humana vite ad omnia mundi
 tempora**

tempora congruens, cum humanos casus proponat, qui velut in orbem sui similes aliquando redeunt, cum non res, sed persona, homines, loca & tempora saltem mutantur. O Utinam Nestorius noster Hæresiarcha non tam alto supercilio studium Historicum parvi fecisset! vix in execrabilem suam hæresin fuisset prolapsus. Cum enim *naturalem quandam*, inquit Socrates, *haberet eloquentiam, eruditum se putabat; cum tamen revera indoctus esset.* **INTERPRETUM LIBROS LEGERE DEDIGNABATUR.** Inflatu enim propter eloquentiam **VETERIBUS NON ACCURATE INCUMBEBAT**, sed se potiore omnibus judicabat, ignorabat itaq; in vetustis exemplaribus *Catholicae Joannis esse scriptum, omnem spiritum, qui Jesum solvit, à DEO non esse, &c.* Utinam Nihusius ille Apostata, qui, quòd sub Doctoribus non profecerit, quondam cuidam objecit, Historiam Ecclesiasticam meliori ratione excoluisse! Non haberemus sanè *cerebrinam illam Neutralistarum Theologiam, quæ tot, proh dolor! in Ecclesia dat turbas, tot infirmioribus scandala prabet, tot apostasiarum mater est, tantos cachinnos hereticis movit, tantas hostibus veritatis suppetias tulit, tot convitia in Orthodoxos exspuit, Arminianismo, dehinc atheismo latissimam portam aperit, universæ Orthodoxiæ jugulum petit.* Ut cum Magnifico DN. D. SCHERZERO, Patrono magno, loquar. Quare videbor operæ fecisse pretium, si ex antiquitate Nestorium, hæreticissimum Personæ & Naturarum Christi Separatorem, historicis aliquibus dissertatiunculis brevissimè delineavero, atq; sic anti-Christianum ejus Spiritum, quem hodierna lux in multos effudit, tacitè notavero. Cum verò in Patriam instans iter, aliaq; quibus invitè obruor, impedimenta, proposito obstant, quo minus mihi, nedum aliis satisfacere hâc vice possim, veniam à Benevolo Lectore ad aliud tempus rogo, quo juvante DEO, affectatam jam Nestorii descriptionem pro virili conficiemus, monstrato simul Calvinianorum in heterodoxia consensu. Deus annue cœptis!

CAPUT

(9)
CAPUT PRIMUM.
D
NESTORII ORIGINE
ET QUALITATE.

1. *Quis fuerit Nestorius? quibus Parentibus & quâ Patriâ natus?*
2. *An à Cilice Patre & Samosateno Avo, censente Baronio, &c?*
3. *Ob facundiam fuit fastuosus, ob fastum rudis.*
4. *Ex Monacho fit Presbyter, ex Presbytero Episcopus, quod pietatem præ se ferebat, & sonora voce popularem auram & applausum promeruerat.*
5. *Ordinatur.*
6. *Impietatem producit.*
7. *Baronius notatur.*
8. *Nestorius in Hæreticos crudeliter furit. Arianorum Oratorium dat incendio.*
9. *Excitat turbas. Furorem continuat, & ob id occiditur Antonius. Macedonianis templum aufert.*
10. *Miserrima hinc oritur Ecclesia conditio.*

§. I.

NESTORIUS, de quo impræsentiarum nonnulla facere verba est animus, non fuit Orthodoxus Phanagoria Civitatis Episcopus & Martyr, cujus mentio fit in *Concil. Chalced. Act. 1. in princ. Historia Tripartita lib. VI. cap. 11. & ap. Nicephorum Callistum Hist. Ecclesiast. lib. X. cap. 8.* neq; egregius ille Juvenis, qui Lycum pugilem vicit & ob id Imperatoris jussu occisus; sed capax istud totius diabolice nequitia instrumentum, quod fidei incendium blasphemiarum officinam merito dixerunt Socrates *Hist. Eccles. l. VIII. c. 29.* & Evagrius *l. II. c. 2.* natum in oppido Germaniceorum Syria ad Euphratem, *vid. Socrat. l. c. Casiodorus Hist. Trip. lib. XII. cap. 4.* Parentibus hodie ignotis.

§. II. Nostratium quidem Non-Nema in *Historia Nestorianismi cap. 1. §. 1.* & *Cæsar Baronius Annalium Ecclesiasticorum T. IV. ad ann. Christi 428. pag. 589.* existimant ex Suida esse manifestum, quod fuerit Samosatani, nefandi illius Hæresiarchæ, nepos. Ita enim *Suidas Lexico Tom. II. pag. 221. Ἰὸς μὲν γὰρ ἦν τῆς κίλιξ, Theodori scil. Mopsvesteni, δούρον δὲ τῆς Σαμοσατίας.* Ubi di-

certis verbis *Paulum & Theodorum* inter *πρωτόβυς* refert. At non dixerim hoc de generis; verum hæreseos prolapia capiendum. Vid. cap. II. circa finem.

§. III. Naturali quâdam pollebat eloquentiâ. Vocalis erat & facundus, teste *Nicephoro*, & ob id admodum arrogans, cum tamen reverâ indoctus esset. *Nestorius* war ein stolzer ungelehrter Mann/und da er ein so grosser Bischoff und Patriarch ward/meinete er / daß er müste der gelehrteste Mann auff Erden gehalten werden/dörffte keine Bücher der Vorfahren oder andern lesen/oder ihrer Weise nach von den Sachen zu reden lernen/sondern weil er wohl beredt und bestimmt / wolte er ein selbst erwachsener Doctor und Meister seyn. *Αυτοδιδασκων!* ita depingit eum beatissimus Dn. D. *Dannhaverus*, Gamaliel desideratissimus eheu! ex *Lutheri Megalandri* Nostri Tom. VII. Jen. fol. 262. *Salve Reformato* p. 161. *Socrates*, *Nicephorus*, *Cassiodorus* atque alii passim hoc ipsi tribuunt testimonium, quod interpretum libros non fuerit dignatus legere: Solus ita sibi sapiebat, ut propter externum facundiâ donum veteribus non accuratè incumberet, sed se ipsum omnibus potiozem judicaret.

§. IV. Factum est autem, cum exeunte anno Christi 427. 24. die Decembris *Sisinnius*, Patriarcha Constantinopolitanus obiisset diem suum, ut eis, qui honores & magistratus gerebant, placeret, neminem ex ejus Ecclesiâ clero Episcopum creare, propter vanam eorum, qui honorem talem temerè, quibus ipsi faverent, mandatum volebant, gratiam. Multi enim *Philippo*, multi vero *Proclo* cupiebant; quare extraneum quendam ex Antiochia designare visum est: Fortè quod eventum non minus prosperum, quàm olim, cum *Jobannes Chrysostomus* inde accersitus esset, sperarent. Vocatur itaque *Nestorius*, Presbyter Antiochenus, antea Monachus in monasterio *S. Euprepîi* in locum *Sisinnii* Pontifex, ad præviam Aulicorum commendationem, quod in dicendo promptus & facilis esset, laudemq; castitatis & pietatis meruisset maximam. Ut *Theodoretus* refert, *sordidâ erat indutus veste, mæstus & tristis incedens, forenses sumulus devitans, corporis pallore & macie abstinentiam simulans &*
quiesc

pietate sibi vivens: His artibus & simulationibus plerisque alliciebat ad sui admirationem, quousque ad graviolem devenit aetatem, videri potius, quam esse Christianus, & suam magis, quam Christi gloriam querere studens.

§. V. Nestorius jam vocatus, trimestri ab Antecessoris obitu ordinatur Episcopus Constantinopolitanus, Anno Christi 428. decima Aprilis. Consulibus Felice & Tauro. De ordinatione hac quid senserint Episcopi quidam, dabunt Caestini ad Nestorium literae, quae extant in Concilio Ephesino, edito ex Bibliotheca Antonii Contii pag. m. 18. ubi Papa scribit: Latificavit animum nostrum venientium narratio nuntiorum; quam mox firmavit eorum, qui interfuerunt ordinationi tuae relatio collegarum, qui tibi testimonii tantum tulerunt, quantum ferri huic debuit, qui aliunde videbatur electus. Tanta ante opinione vixisti, ut tuis te aliena Civitas invideret. Haec Caestinus: eadem ferme Cyrillus venerandae memoriae Alexandrinorum Episcopus, uti nominatur ab Evagrio, Epist. ad Theod. Tom. V. Conc. Eph. edit. Pelt. fertur restatus.

§. VI. Atque ita praedicabatur à plurimis, tum pietatis, tum modestiae, aliarumque virtutum nomine: Quis vero fuerit ingenio ac moribus, statim ab inauguratione sua ad Episcopatum detexit. Theodosium Juniolem, Romanum Imperatorem ita sollicitabat in prima, coram omni populo, extemplo habita concione: Da mihi o Imperator, terram ab Haereticis repurgatam, & ego Tibi vicissim solum dabo. Disperde mecum Haereticos & ego Tecum disperdam Persas! Nicephorus l. XIX. c. 21. Casiod. Hist. Tr. l. XII. c. 4. & c. Ubi (dicente Soerate l. VII. c. XXIX.) qui animi sententiam ex verbis conjectare noverunt, neque docendi levitas, neque ferocia, neque inanis gloria studium in hoc homine latuit, quod ne modico quidem tempore se ipsum cohibens, in hujusmodi verba prorupisset; Sed si juxta proverbium dicendum sit, cum ne aquam quidem civitatis gustasset, factus est persecutor, ut illum propterea non solum haeretici, verum etiam, qui ejus fidei concordabant, dixerint πρὸς Φόγγον, incendiarium, Gallicè Boute feu.

§. VII. Obiter hic notamus Baronium, qui ad an. Christi 428. haec adversus Soeratem tradit. Concilium inquit pag. 579. contine gra-
dum,

dum, Lector! ne pedibus cito abeat in sententiam Socratis, dum iam primum invehitur in Nestorium ob huiusmodi sibi visum temerè dictam. Cur enim displicuerint ista Socrati dicam: Tu arbiter esto! Non quidem ex his reprehensibilis Nestorius videri debuit, quòd de hæreticis prostrigandis Episcopali egerit libertate, vigoreq; Sacerdotali sententiam illam dixerit: nec quòd in Hæreticos primo bellum indixerit, meruit reprehensionem. Quid enim in optimo quog; pastore, qui proficitur gregi, magis desiderari debet, quàm ut ingruentes lupos arceat? Cur præterea temeraria, vanag; & inflata fastu sententia illa cum pollicitatione victoria adversus barbaros obtinenda, si ante ab eo fuerint Ecclesia perduelles expulsi, videri possit, si id à Deo præstari solere, cum talia ab Imperatore facta præcedunt, & vetera & recentia exempla clamarent? Sed quòd una cum aliis hæreticis ex ea sententia exagitandi quog; fuerint Novatiani, quos & idem Nestorius magnopere infectatus est, inde plane accidit, ut Novatianus ipse Socrates, eadem expertus verbera, verbis illis ipsum incesserit. Hinc ille lachryme! Hæc ille, Sed concitum contine gradum, Lector Candide! & animadverte Baronium non minus quàm Nestorium in Hæreticos ferocientem vehementer, cui responderemus prolixè, si privilegia & statuta hujus Academiae ferrent, ut ex Historia falcem nostram mitteremus in alienam messem. Ne tamen vitrea, ut vocat Augustinus, Adversarii argutiæ hujus suspitionis aliquod habeant pondus, audiatur præter Socratem, (etsi Novatianum) Cyri Episcopus, amicitia Nestorio intimè junctus Theodoretus in Ep. ad Spondium, qui de Nestorio scribit, quòd instar Egyptiæ plage in Ecclesiam DEI cum certa ejus pernicie irrepperit, & Sacerdotum numero adscriptus, populi Dei regendi suscepta cura, in ipsomet principio, qualis in tota vita sua futurus esset, aperte ostenderit, Ut primum enim sedem Constantinopolitanam maximam occupavit, ac si tyrannidem quandam Sacerdotii præfecturam rapuisset, non amplius in se ipso impietatem, quam antea mente conceperat, continere voluit, sed ex potestate licentiam quandam stultam adeptus, in medium illam profert & in omnibus patrefacit.

§. VIII. Hanc suam crudelitatem Nestorius de die in diem magis magisque exereuit pro virili in Macedonios, Novatianos & Quartadecimanos per Asiam, Lydiam, Cairam & qui præterea Milesi & SAR.



de Sardis erant. Neq; enim quiescebat; verum contra Hæreticos machinando, civitatem, quantum in ipso erat, subvertebat. Quin a statim post ordinationem die Oratorium Arianorum, in quo occultè congregabantur, destruere volens, in tantam eos recordiam impulit, ut visâ Oratorii demolitione ignem illi incenderint & combusserint. Conabatur etiam depopulari Novatianos, ob id stipalatus, quo Paulus Novatianorum Episcopus, religionis gratiâ præclarus habebatur. Proceres autem refrænarunt ejus impetum. Uti recenset Socrat. l. VII. c. 29. Casiod. Hist. Tr. l. XII. c. 4. Niceph. l. XIV. c. 31.

§. IX. Parabant Ariani adversus insulfos hosce insultus semet ipsos defendere & magnum commississent facinus, nisi civitatis custos consilium ipsorum impedivisset. Silere tamen non poterat Persecutor; contra Hæreticos, quantum in ipso erat, agebat. Multa quoq; præter consuetudinem Ecclesiæ perpetrabat, aliosq; in odium sui concitabat, sicut gesta ipsius ostendunt. Nam in Germa Civitate Helleponti, Antonius Episcopus impetui Nestorii contra Hæreticos subserviens, Macedonianos exagitare conabatur, excusationis loco mandatum Patriarchæ prætexens. Itaq; Macedoniani populationem aliquamq; pertulerunt. Quoniam vero ab Antonio vehementius vastabantur, dolorem non cobibentes amplius, in gravem rerum desperationem inciderunt, ac per viros subornatos, qui inulciscendi libidinem honesto ac bono præferebant, virum illum interfecerunt. Odium hoc, quod ipse excitaverat Nestorius, in occasionem furoris sui rapuit ac Imperatoribus persuasit, ut Ecclesias Macedonianis auferrent. Ablata igitur sunt illis Ecclesiæ, ea, quæ ante muros antiquos Constantinopoli fuit & Cyzena & alia multæ, quas in agro Helleponti habuerant. Nonnulli autem ex illis ad Ecclesiam Homonstanorum in fide consentientes accesserunt. Socrates. Verum ut vino deditos, juxta proverbium, vinum non destituit, nec contentiosum concertatio; Ita quoq; Nestorio amanti persecutiones, evenit, ut persequeretur semper Ecclesiam D & I. Casiodorus.

§. X. Qualem tum temporis Ecclesiæ putamus fuisse tentationem, cum infelix ille Nestorius subitò ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset? cum hi ipsi, qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideoq; moribus ejus magis

B pate-

paterent. Nam quis tam facile errare arbitraretur, quem tanto Sacerdotum studio persecutum videret? qui cum magno Sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat elogia, & noxios quoque Judæorum atque Gentilium confutabat errores. Quo tandem justo modo non cuius fidem faceret, se recta docere, recta prædicare, recte sentire? *Scilicet cunctas alias infectabatur hæreses, ut uni sue pacificaret aditum.* Vincentius Lirin. *contra Hæres. c. 6.* Atque ad lapsum in Hæresin jam promovemus pedem, quod Historici non tantum suppetunt, quantum ad planam & plenam descriptionem aliàs requireremus. Nulla enim monumenta supersunt, postquam Imperatores pietatis proveciuri messim, Zizaniis sublatis in cineres verti fecerunt, nisi quæ captim & frustillatim hinc inde reperiuntur: Quod verò lapsum concernit, in eo recensendo erga posteritatem fuere liberaliores.

CAPUT SECUNDUM.

De

NESTORII LAPSU IN HÆRESIN.

1. *Varia de Nestorii errore sententia. Ex Pontificiis & Calvinianis quidam eo usque procedunt, ut explicite eum duas in Christo personas docuisse, non erubescant edere in vulgus.*
2. *Derridon, sub larva, quam Stannarius, Calvinista Marpurgensis detraxit, in Dissp. fasciculo, ab omni hæresi absolvit: contra Cyrillum & Episcopos Ephesinos ceu heterodoxos impugnat, notatus eo nomine à Marefo Syll. Dissp. P. II. p. 13. quamvis non ubique citra injuriam.*
3. *Nostra sententia, media, tutissima, verissima & probatissima, in Symbolicis & à nostratibus Theologis conscriptis libris.*
4. *Ex Nestorio.*
5. *Ipsò Cyrillo Nestorii Adversario.*
6. *Orientalibus.*
7. *Quomodo fuerit patefacta? Resp. 1. Ex eo, quod volebat admittere vocem Θετόν.*
8. *Cur eam noluerit usurpare.*

§. I.

Est autem apud Autores duplex de Nestorii lapsu in hæresin sententia.

rentia. Joh. Nauclerus *volumine secundo Chronographia Generatione XV. pag. 664.* Greg. de Valentia *Tom. IV. Disp. I. qv. 1. punct. 2.* Bellarminus *lib. III. de Christo cap. 5.* Orthodoxus (ut vocatur) Consensus *p. 52.* Wendelinus *Exercit. L. pag. 749. LII. 774. LIII. 787.* & Sacramentarii furfuris Reformati alii Hæreticum eo usque accusant, ut duas in Christo Personas sine omni communicatione reali, *κατὰ πρῶτον* docuisse scribant, sicuti nimirum *Jacob & Esau* duæ distinctæ fuerunt personæ. Quâ verò fini? Dubio procul ut venenum suum Nestorianum salutarî doctrinæ immixtum incautis propinent & hominibus in fide simplicibus obrepant.

§. II. Nonnulli eum prorsus absolvunt & existimant in tantum personalem unionem illibatam tradidisse, ut immeritò fuerit à *Cyrillo* reprehensus: Quos inter est *Anonymus* quidam *Calvinista*, qui veritus non fuit, libello aliquo publico de supposito *Nestorium* tueri ut Orthodoxum, *Cyrillum* verò Alexandrinum & reliquos Episcopos Ephesi in Synodum coactos damnare ut heterodoxos. Cui, dum totus est in *Nestorio* excusando, ipse *Nestorius* aliquid de suo liberaliter affricuisse, videtur Calviniano fratri *Maresio*. *Haud pauca enim*, inquit, *apud eum occurrunt, quæ si ad vivum rescarentur, illum Nestorianismi satis evidenter evincerent.* Quasi verò immunes ab illo unquam fuissent Calviniani!

§. III. Nos Catholicæ Ecclesiæ assumimus & recensemus opinionem, quam à Nestorii ætate ad nostra transmisit tempora. Scilicet verbis confessum unam Personam *Nestorium*, negasse per consequentiam negatâ reali idiomatum communicatione. Nimirum colligebat, quod quis virtualiter & consequenter dicat, id æq; dicere, ac quod formaliter & expressè, & à se amoliri non posse, nisi perinde absurdum esse velit ac fur, qui laqueum suum ad judicem affert, fateretur flagitium, nec potest illud inficiari: At cum judicis minister laqueo jugulum induit, negatur, inquit, hujusmodi conclusio. Conf. *Wigandus* noster Orthodoxus *qvæst. 1. §. 2.* *Certe prolem negare non potest, qui matrem admisit.* Hæc assertio hodie adhuc à Lutherana Ecclesiâ approbatur in *Form. Conc. Epit. pag. 609.* & *Declarat. p. 467.* & à nostratibus Theologis: *De tota Ἐκκλησιᾷ* *optimè merito Menzero, Theologorum nostrorum Scaligero,* uti appellari

pellari meruit à pietissimè defuncto Dn. D. *Dannhawero*, Operum
Tom. I. pag. 1070. b. f. T. II. p. 713. a. m. B. Chemnitio de duabus na-
turis in Christo p. m. 77. Theologis Wittebergensibus Antapolog. ad
Rintbelenf. Epist. Apologeticam p. 98. 480. &c. B. Leonh. Huttero
Loc. Comm. p. 132. B. Wolffgango Franzio Oratione de initiis & pro-
gressu certaminum Nestorianorum & Eutybianorum in Articulo de
Persona Christi p. 10. B. Dannhawero Salv. Ref. p. 119, 120. &c. Hod.
Sp. Calv. p. 1572. seqq. Dn. D. Meisnero Exam. Cath. Heidelb. p. 459.
D. Königio Hist. Nestorianismi cap. II. §. 10. &c. Religio itaq; nobis
 erit ab ea diverti, donec contrarium clarissimis speciminibus fue-
 rit probatum. Diversum verò hæctenus è veterum monumentis tra-
 dere nequiverunt antiquitatum Doctores peritissimi.

§. IV. Res multis modis clara est, præter allegata testimonia
 ex Nestorio: *Nomen Christi*, inquit *Ep. 1. ad Cyrillum*, *quæ reperi-*
tur in actis Concilii Epbesini v. Tom. I. cap. 13. utrumq; naturam pati-
bilem & imparibilem IN UNICA PERSONA denotat, *quò idem*
Christus patibilis simul & imparibilis citra fidei discrimen concipi
queat, illud quidem secundum humanitatem, hoc vero secundum divi-
nitatem. Quæ verba Gallo ita arrisère, ut ea pro Nestorii Orthodoxia
allegarit disputatione de supposito, quam suppresso nomine edidit
Derodon. Ex his verbis clarescere, inquit, *Nestorium negasse duas*
Personas in Christo, quia expressis verbis docet duas esse naturas in
unica persona Christi, & eundem Christum patibilem & imparibilem
juxta duas diversas naturas. In quaternione 17. quæ extat inter Acta
Concilii Epbesini I. Tom. 2. cap. 8. Erat quidem DEUS verbum ante-
quam homo fieret, & Filius & Deus, & Patri conjunctus, posteriori-
bus autem temporibus formam servi accepit. Verùm cum antea Filius
& fuerit, & vocatus sit, NON POTEST POST ASSUMPTAM
SERVI FORMAM SEPARATIM VOCARI FILIUS, NE
DIOS FILIOS STATUAMUS. Quatern. 16. INSEPARA-
BILIS EST DEUS AB EO QUI APPARUIT. Ana-
them, 3. Cyrillo opposito. Si quis non secundum conjunctionem U-
NUM dixerit esse CHRISTUM, qui est etiam Emmanuel secun-
dum naturam, ex utraq; etiam substantia, tam DEI Verbi, quam
etiam ab eo Hominis suscepti IN UNA FILII CONNEXIONE,
 quare

quam etiam nunc inconfuse servamus, minimè confictur, anathema sit. Anath. 6. Si quis post incarnationem DEUM verbum, ALTE-
RUM QVEMPIAM PRÆTER CHRISTUM nominaverit,
anathema sit. Epist. ad Alexandr. Episc. Hieropolitanum, ejus verba
hæc leguntur in Actis Concilii V. Oecumenici Sess. 6. Oportet ma-
nere naturas in suis proprietatibus & sic per mirabilem & omnem ra-
tionem excedentem unitatem unum confiteri filium. Et iterum: NON
DUAS PERSONAS UNAM FACIMUS, sed una appella-
tione Christi duas naturas simul significamus. Conf. Anathem. 7. Ep-
ad Cyrill. Tom. IV. opp. Cyrill. p. 25. Epist. 2. ad Cœlest. P. R. ante A.
C. C. I. Qvatern. 15. &c. ex quibus omnibus perspicuum est, asse-
ruisse Nestorium duas in una Persona naturas.

§. V. Neque id negat Cyrillus Antagonista, qui lib. 1. adver-
sus Nestorium p. m. 16. eum sic loquentem introducit: Μέγα τὸ
δῶρα τὸ μωσῆρον τὸ πρὸ τὸ βλέπερον βεβέθη, τὸ πρὸ τὸ κατὰ
Φανόρον παρὰ Φάνον, τὸ πρὸ τὸ σπαργάνων σωματικῶν δεθῆν,
τὸ πρὸ τὸ κτὲν ὁρωμένω ἐστὶν δεθῆτον, υἱός, κτὲν τὸ γεγραμμένον,
αἰώνιος υἱός τῶν ὅλων δημιουργός υἱός τοῖς τῆς ἰδίας θεοθείας σπαρ-
γάνοις τὸ τῆς κτίσεως ἐυδελύτων σφύλων. Magnum sanè tanti
doni Sacramentum. Hic enim, qui videtur infans, hic qui recens ap-
paret, hic qui fasciis corporalibus eget, hic qui secundum visibilem
essentiam recenter est editus, Filius est, ut scriptura docet, aternus,
FILIIUS UNIVERSORUM OPIFEX, Filium qui sue opis
fasciis dissolubilem creature naturam adstringit. Et alibi rursus:
καὶ τὸ βεβέθη ἡδὲ θεός ἀυτεξέστη. Τοσοῦτον ὁ θεός λόγος τὸ
θεὸς ὑπεξέστη εἶναι διέστηεν, ἄρειε δι' ὧν καὶ τὸ συνημιένον
σῶμα θεὸν παρηγόρευσε καὶ πάλιν γωρίζομεν τὸν πῶ αἰθερα-
πότητα τὸ βεβέθη, καὶ πῶ θεότηα τὸ τῆς υἱότητος παρὰ μονα-
δικόν ἐν αἰθεραπότη καὶ θεότητι φύσι. Et infans enim est li-
bera potestate, tantam abest Arie, ut Deus verbum sit sub Dei potesta-
te. (in quibus verbis conjunctum quod, corpus Deum appellavit.) Et
rursus: NOVIMUS ergò HUMANITATEM infantis, ac DI-
VINITATEM, FILIATIONIS UNITATEM SERVAMUS
IN DEITATIS, HUMANITATISq; NATURA. Recen-
sitis hisce Nestorii verbis Cyrillus ita concludit: Ἰδὲ δὴ καὶ μάλισ-
τα

συνφως τὸ θεῶν τὸ πρὸς φάτιν, τὸ ἀνάμνητον, τὸ ἀληθινόν, τὸ
 ἐσπαργανωμένον, ἡὸν εἶναι Φῆς, καὶ τῶν ὄλων δημιουργός, &c.
Ecce jam disertis verbis, infantem recentem qui vi-

detur, mox editum, fasciis involutum, FILIUM ESSE
FATERIS, ET UNIVERSORUM OPIFICEM. Et lib. V.
 Cyrilli, ait Nestorius in persona unigeniti: *Cum sim Dei forma, servi*
formam indui; cum sim Deus verbum, in carne conspicio; cum sim
universitatis Dominus, personam pauperis propter vos indui; cum esu-
riam visibiliter, esurientibus invisibiliter cibum subministro. Ut lubens
 jam præteream loca alia Cyrilli libro de recta fide ad Reginas p. 53.
 & 66. Ep. ad Nest. & Cler. Constantinop. Exegetis de V. Incarn. ad Va-
 lerian. & lib. II. contra Nest. p. 4. & c.

§. VI. Neque deniq; probabile est, Orientales Nestorii partes
 tam anxie fuisse secutos, si novissent, eum duas in Christo statuere per-
 sonas. Constat enim eos unitatem Θεωρθεωπει acriter defendisse.
 Vid. quos citat Dn. D. Rösig in *Historia Nestorianismi* §. 12. Cyrillus
 in *Charta Communitoria Eulogio data Tom. IV. Oper. Cyrill. pag. 70.*
edit. Basil. & in Epistol. posteriore ad successum Episcopum Sauria Dio-
cesariensem l. alleg. p. 270. 271. 273. Patere quoq; ait id ipsum ex O-
 rientalium Confessione in exemplari relationis ad Reges de his,
 quæ Johannes Comes egerat, pag. 168. nec non ex reprehensionibus
 Theodoretii Cyrilli anath. 1. 2. 8. 11. 12. oppositis. Conferatur &
 B. Cyrilli Epistola ad Acacium Melitana Episcopum, qui de eo con-
 questus erat per Epistolam, quasi consensisset Orientalibus. Op. T. V.
 P. II. Epistolarum p. m. 119. *Eam ob causam ait veriti Orientales, ne*
qua ratione Verbi Dei gloria & natura propterea quæ ob susceptam
cum carne dispensationem humano more de illo prædicantur, detrimen-
tum acciperet, voces discernunt: Οὐκ εἰς δύο τέμνοντες, ὡς ἔφλω,
τὸν ἕνα υἱὸν, καὶ κύριον, non quidem unum Filium ac Dominum in
duos scindentes, ut dixi; sed alias quidem illius divinitati, alias verò
ejusdem humanitati, omnes tamen UNI EIDEMQUE PERSONÆ
assignantes. Atque hinc elucet, opinor, Nestorium perpetuò
 clamasse, se nullo modo docere duos Christos, duos Filios, aut duas
 Personas in Christo; sed naturarum differentiam necessario retinen-
 dam esse: Et tamen pia Mater Ecclesia illud inde deduxit per bonam
 & fluca-

& fluentem consequentiam, quia idem docebat virtualiter, interpretative ac eventualiter. Nec diabolus Christum docuit apostatare à summo Numine, à quo sibi DATAM potestatem Oecumenicam, consequenter adorabilitatem dependentem fatetur: Nihilominus id Christus de apostasia interpretatur Matth. IV.

§. VII. Sunt autem insidiæ ejus ita deprehensæ. Adduxerat secum Antiochia Presbyterum Constantinopolim missum, quem in magno honore habebat, illoq; in gerendis rebus consultore utebatur. Is in Ecclesia aliquando verba ad populum faciens in hæc erumpebat: Θεολόγον τὴν Μαρίαν καλεῖτω μηδεὶς: Μαρία γὰρ αἰθερώπη ἦν· ὡς αἰθερώπης δὲ Θεὸν πεχθῆναι ἀδύνατον. Nemo Mariam Deiparam vocet: Fuit enim homo Maria: Ex homine autem Deum nasci est impossibile. Uti refert Socrates Hist. Eccles. lib. VII. cap. 32. & Evagrius lib. I. cap. 2. Hæc verba Leonem, aliosq; clericos ac laicos vehementer, ut par erat, offendebant. Sciebant enim omnes, Christum esse Deum, & nullo pacto propter dispensationem susceptam tantquam hominem à divinitate separatam, fidem habentes Apostolica voci, quæ dicit: Etiam si cognovimus secundam carnem Christum, aliam non amplius cognoscimus &c. Nestorius tantum abfuit, ut (ortâ in Ecclesia perturbatione) reprehenderet, vel Autorem compesceret & perperam dicta corrigere juberet, (nolebat enim tanquam blasphemum redarguere, quem ipse honoraverat) ut etiam ultro defenderet & ipse pro concione similia, quæ à Theodoro lib. IV. & Evagrio l. c. recitantur, proferret ἐγὼ, inquebat, τὸν ἄνθρωπον διμηνυῖον καὶ τριμηνυῖον οὐκ αὖ Θεὸν ὀνομάσομεν. Eum, qui spaciis mensuris, nempe bimestri & trimestri adoleverit, Deum certe non appellavero. Οὐκ ἔτεκεν, ὡ βέλτεσε, Μαρία Θεὸν, ἀλλ' ἔτεκεν αἰθερώπην Θεοῦ τῷ ὄργανον. Non peperit, o Optime! Maria Deum; sed peperit hominem divinitatis instrumentum, item: Ἀνεύληθ' ἐκ τῶν μητέρων θεοῖς ἐπιτάγων. Reprehendi ethnicus non potest, matrem Diis attribuens, si nimirum à Christianis Deus rectè creditur matre natus.

§. VIII. Causa, cur Mariam Θεολόγον dici nolebat, recenset Socrates lib. VII. cap. 32. Scilicet hauriebat venenum ex tumore mentis, neglectuq; Sanctorum Patrum atq; contemptu antiquarum Ecclesiæ traditionum, cum sibi nimium sapiens, fastu inflatus elo-

quii se non indigere Doctore putavit. Non poterat distingvere abstractum à concreto, ut loquuntur in Scholis. Hinc existimabat, si Deus diceretur ex Maria natus, Deitatem quoq; dicendum esse ex ea natam. Verba ejus apud Cyrillum *lib. I. advers. eum pag. 6.* hæc leguntur. *Sepè illos rogavi, Num Deitatem dicitis ex sancta Virgine natam? Ad hæc verba illicò resiliunt: Ecquis, inquirunt, tanto blasphemie morbo laborat, ut quæ templum genuit, Spiritus Sancti opera, in ea Deum ipsum creatum dicat? Deinde cum ad hæc subjicio: Quid igitur absurdi dicitur à nobis, cum vocem hanc efferre quidem suademus, sed ad commune duabus naturis significatum pergere? Tum verò putant blasphemum esse quod dicimus: Aut apertè conficere Divinitatem ex B. Maria genitam, aut sicut blasphemam fugies hanc vocem, cur quæ eadem atq; ego dicis, te haud dicere simulas? Hæc atq; alia multa videre est *lib. I. Cyrilli contra Nestorium*, in quo pro voce Θεοῦ κεν ferè tota contentio est.*

§. IX. Cogitabat secum Generationis eam esse rationem, ut quod oritur, sit ejusdem cum gignente substantiæ & naturæ, quemadmodum teste Dn. D. Meisnero in *Exam. Catech. Heidelb. p. 466.* Thomas etiam veram proprièq; dictam generationem definit: quòd sit *Origo viventis à principio vivente conjuncto, secundum substantiæ similitudinem* 1. p. q. XXVII. art. II. Ex quo principio Nestorius quoq; *Epist. ad Cælestin. PP.* dicebat: *Oportet veram matrem de eadem esse essentia, quæ & ex se natum.* Jam, cum Deus & Deitas ipsi erant pro uno, Maria non erat ejusdem cum Deo essentiæ. Hinc ait: *Maria erat homo, impossibile est autem ut homo Deum pariat.* *Socr. l. c. & lib. I. Cyrilli p. m. 10.* Ουδαμῶς τὸν υἱὸν ἢ θεῖα γενεῇ θεοῦ ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῆς λέγει γεννηθῆναι, ἀλλὰ ἀποσοῦν, χειρὸς, ἰόν, κὺριον. Nusquam ergo divine litera Deum, (h. e. Deitatem, sensu Nestoriano) ex Christi genitrice genitum dicunt, sed Jesum, Christum, Filium, Dominum. Et immediate antecedentibus: DEUM EX IPSA (MARIA) GENITUM NUSQVAM DIDICI. Adhæc subjicit: Ὅτι μὴ θεὸς ἀληθῶς, θεοφῶς δὲ μάλλον αἰθερωπὸν ἢ ὁ χειρὸς. Quòd non verè Deus, sed Deiferus potius homo fuerit Christus, ut ipse putat, proferens illam Angeli vocem beato Joseph dicentis: Surge & accipe puerum: atq; ipsos quoq; Angelos, qui nobis procul dubio sunt sapientiores, scrivisse, ait, puerum fuisse.

94 A 7382

ULB Halle 3
002 183 692




5b.

VD 17

21.7.99 Bd.







De
NESTORIO,
disputabunt
Annuente Jehova,
PRÆSES
M. JOHANNES SIMON FRANCUS,
MOENO-FRANCOFURTANUS,
&
Respondens
M. STEPHANUS PILARIK,
Matthæi-Villa Hungarus,
SS.Theol. Studiosus.
Anno clæ LXX. d. 6. Augusti. horis mat.
In Auditorio Minori,

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wends.

